



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Altonis Monasterivm, Uvlgo Altenmünster/ Ordinis S. Brigithæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

## ALTONIS MONASTERIUM, VVLGO

Altomünster/ORDINIS S. BRIGITHÆ.

PRIMA fundatio & dotatio loci & Monasterij Altomünster, vt habent monumenta vetera illius Monasterij, facta est per Christianissimum Regem Franciæ Pipinum, qui circa Annum Domini 750. magnam partem syluæ dono dedit S. Althoni Scoto, qui tunc temporis in isto loco circa fontem vt peregrinus & eremita Deo seruiuit; cuius industria & labore magna pars syluæ extirpata, & circa fontem Ecclesia fabricata, & tandem ex Christi fidelium oblatione in Monasterium religiosorum fratrum excreuit, quorum S. Altho primus Pater, & Abbas exiit, clarus miraculis in vita & post mortem, cuius Ecclesiam vnâ cum fonte S. Bonifacius, Episcopus Moguntinus Martyr consecrauit. Et claruit S. Altho temporibus S. Virgilij, Episcopi Salisburgensis, & S. Corbiniani, Episcopi Frisingensis, vt ex Chronica Ottonis, Episcopi Frisingensis, lib. 5. cap. 24. facile colligitur. Auentinus in compendio impresso sub arbore Welphorum ponit Erichonem, Comitem Licaciorum, & in Ambergau ibidem Monasterium instituisse, Heiricum filium eius, postea Monachos inde in Altomünster transtulisse. Sed successiuis temporibus malitia temporum & aliquorum Tyrannide ac violentia, Monasterium hoc in singulis suis possessionibus spoliatur, totumque desolatum & collapsum relinquitur, vsque ad tempora Guelphonis, Bauariæ Ducis, sub quo facta est secunda fundatio & dotatio huius Monasterij; qui instituit ibi Abbatiam ordinis S. Benedicti, magnificeque eam dotans: Cuius posterius rursus mutarunt, transferentes Monachos ex Altomünster, in Cœnobium suum Altorfense, quod *Weingarten* dicitur, ac Moniales ordinis S. Benedicti, quæ ibidem commorabantur, traduxerunt in locum istum S. Althonis, quod scilicet hic Monialibus, alter verò Monachis aptior esset. Quæ translatio facta est circa Ann. Domini 1047. aliâs 1057. & prima Abbatissa, Hiltrudis nomine, inuestituram accepit. Accessit insuper liberalis dotatio, nobilis Domine Ithæ, Comitissæ Tyrolis, vxoris Guelphonis, ibidem sepultæ, quæ se alteram fundatricem exhibuit in Ecclesia S. Althonis. Et sic claruit Monasterium hoc sub ordine S. Benedicti, vsque ad Annum Domini 1487. Quo D. Georgius, Com. Palat. Rheni, Dux Bauariæ, locum istum tunc iterum malitia temporum, & negligentia aliquorum ferè desolatum, collapsum, vbiq; ruinofum, bonique temporalibus multis alienatis, distractis & perditis destitutum, reformare & restaurare curauit: Et Monasterium hoc ordini Saluatoris, aliâs S. Brigithæ, accedente consensu summi Pontificis & ordinarij applicauit, & quasi tertium instauratorem & fundatorem præstitit, cuius negotij religiosus frater Wolfgangus Sandiceller fidelis procurator & sollicitator exiit, Anno Domini 1494.

PRIMA Abbatissa in Brigitano Cœnobio Manigen electa est, pro Cœnobio Altomünster, Anna Huterin, quæ obiit, Anno 1527.

## ADDITIONES

BEATUS igitur ALTO nobilissima *Scotorum* stirpe progenitus, iuxta teutoniam nominis sui etymologiam ab ipsa puerili ætate seniles maturosque annos agebat, postponens scilicet breuissimam affectuum carnalium voluptatem, & attendens iugiter ad perpetuam spiritualis vitæ iucunditatem, non vllam ample possessionis gloriam, non parentum vel propinquorum gratia ab intentione retraxerat incepta, sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditatus



meditatus est die ac nocte. Cumq; maturitate hac in proposito suo magis proficere, & Euangelicæ perfectionis ardor in animo feruere: admonitus à Domino per visionem. Abrahæ Patriarchæ exemplum secutus, vt relinqueret terram suam & cognationē, transiretque in longinquā Germanorum regionem. Hanc ergo dominicā admonitionē implere festinans patrię terrenę relinquens habitationem, vt aliquam percipere mereretur cælestium mansionum, de quibus Dominus noster in Euangelio dixit: in domo patris mei mansiones multę sunt. Progrediens itaque vt dictum est Vir Dei ex patria venit in *Bauariam* infra Australem plagam Germaniæ positam: vbi in syluam quandam ingressus, cæpit illic fieri colonus, victum sibi inde acquirens, ne quem grauaret circumquaque discurrens, memor Apostoli dicentis: Non manducauimus panem gratis ab aliquo, ne quem vestrum grauaremus. Et Psalmistę qui dicit: Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit. Cum autem, An. 750. ibidem conuersatus multorum aures dulci respergens fama, ad *Pipinum* etiam, *Francorum* Regem *Caroli* Magni genitorem, qui eo tempore regnans prouincias quàm plures suo subiugauit regno, deferebatur noticia. Qui quoniam peregrinorum pauperum, Deoque famulantium curam gessit, magnam syluę illius partem, in qua *S. Alto* habitauit, sibi potestate habita tradidit. Vnde factum est, vt quem Rex tanta donatione venerabatur, à plurimis, tam longè quàm propè positus honoraretur: certarentque fideles & religiosi quilibet de *Alemannia* & *Bauaria* partibus, in quarum confinio situs est ipse locus, qualiter illum visiterent, eique de substantiis suis ac facultatibus ministrarent. Huiusmodi ergò beneficiis vndique suffultus, maximam syluę traditę portionem extirpauit, & in planiciem frugiferaque jugera cõtraquauit. Deinde cum post aliquot annos ex manuum suarum labore, aliorumque sibi subuenientium supplemento terra exculca messem copiosam edidisset, pariterque ex oblatione fidelium quotidie ad eum confluentium substantia, rerum victualium feliciter excreuisset, cepit vir Dei sollicito corde tractare, qualiter hæc omnia ad honorem illius, à quo sibi nouerat attributa, posset retribuere: Hęc eo tractante construxit habitacula seruitio diuino apta, nec non monasterium religiosorum, & spiritalis vitę amatores assumpsit; secumque habitare fecit. Quapropter vsque in diem hodiernum locus ipse dicitur *Altonis* monasterium. Quo constructo sanctus *Præsul Bonifacius*, qui eo tempore in Germania verbi diuini propagator eximius habebatur, visionis diuinę nutu quodam admonebatur, vt *S. Altonis* monasterium celeriter pergeret consecrandum. Cumque ille adueniens more solito velleret ita consecrare, vt mulier nulla deberet illud intrare: postulauit *B. Alto*, ne tali pacto suum Oratorium consecraret, dixit maximè opus viris, sæpius ad opera varia procul egressis, vt vxores eorum domi remanentes orent pro se suisq; viris. Cuius petitioni consentiens mox *S. Bonifacius* Ecclesiam quidem consecrando tam sæminis quàm viris fecit esse communem, sed fontem quendam in eodem loco juxta Ecclesiam positum eã benedixit ratione, vt mulieri nulli liceret ad eum accedere & haurire. Quæ nimirum vtraque, vsque ad nostrę ætatis perseuerabant tempora. Sed quomodo sub temporibus nostris horum quædam immutata fuerint, subsequens ratio declarabit. Oratorio ergo constructo, vt dictum est, atque consecrato, sub incepto sanctę conuersationis proposito permansit, & obiit ibidem *S. Alto*, multis refulgens virtutibus atq; signis, quæ referuntur literis tradita. Sed postmodum, prohi dolor, furtiuè ablata, vnde & nemo debet mirari cum paucula virtutum insignia deprehenderit hic enarrari.

Post obitum verò *B. Altonis* præpotens quidam ex *Alemannia*, parens videlicet *eximij* illius Comitis, qui vulgo nomen quoddam est sortitus, quod latine exprimi-



exprimitur *Catulus*, nescio qua traditione, quâ uel lege vendicantes sibi eius monasterium, omniaq; quæ ad hoc pertinebant pro hæreditario jure possidebant. Qua de re accidit, ut cum tanti loci possessores, pompe secularis, & curæ familiaris studiosi fuissent magis, quâ diuinæ seruitutis, locum eundem paterentur annullari, nullaq; venditione congrua uisitari. Hoc igitur modo, hæc negligentia *S. Altonis* monasteriū per multa habebatur curricula annorū, donec sub Comitis prædicti *Caruli* tempore, cuidam uenerabili viro per uisionem apparuit idem *S. Alto*, dicens ei: Vade & dic illis senioribus, sub quorum corporaliter requiesco potestate, Ego sum *Alto*, quoniã valde molestū est mihi, quod sub negligentia corporis mei locus jam diu habetur: quodq; nulla seruitutis diuinæ cura ibi exercetur. Si ergo hæc emendauerint, magnū exinde præmiū se percepturos nouerint. Si autem neglexerint, nouerint proculdubio, quoniã super eos uentura erit magna uictio. Facta igitur uisione tali, cōtinuò surgens is cui reuelata est, suæ intimat uxori. At illa vna de stultis mulieribus, parum curans de cœlestibus præceptis, respondit ei dicens: Nō mihi uidetur utile talia tantæ dignitatis hominibus indicare, quoniã nil aliud quàm odium exinde consecuturus eris. Cuius obtemperans uir consilio, siluit de iniuncto sibi mandato. Post paucos uero dies iterum in uisione *S. Alto* eidem viro dixit, quare iussionem meã contempsisti? Vade modo & annuntia quæ tibi præceperam: alioquin aliqua passurus es aspera. Veruntamen, sicut antea, eadem distulit iussã. Tertia autem uice Monachus quidam uisus est astare eidem homini dicens illi: Dominus meus misit me ad te, ut interrogarem quare toties eius spreuisses mandata? At ille, quis est, inquit, Dominus tuus? Respondit Monachus dicens: *S. Alto* Dominus meus est, & ipse me misit ad te. Et ut ita agnoscas esse, flagella quæ tibi ipse minando uicibus duabus prædixit uentura, modo senties illa. Moxq; inter hæc increpationis uerba ferire incipiens, uerberibus nimis afflixit. Deinde ei dixit: Si igitur ideò hæctenus distulisti *S. Altonis* implere mandata, quia non habuisti signa, quibus fides esset adhibenda, fidei jam signa tenē, & mandata eius concitus imple. Quibus uisis euigilans homo, nihilq; ultrâ hæsitans de præcepto, perrexit; & Comiti prædicto hæc omnia sibi indicta denunciavit: qui statim credens & obediens uisionis huius mandato, nisi uis totis illud adimplere curauit: adeo ut prædiis nonnullis donatione publica traditis, monachisq; etiã congregatis, Abbatē uenerandū nomine *Rudolphum*, his omnibus regulariter prælatū efficeret. Sed postquam idē *Rudolphus S. Altonis* monasterium annis plurimis strenuè gubernans ex hac assumptus est uita, successerunt ei tantummodo duo Abbates; *Eberhardus* uide licet, probitate rara insignitus, nec nō *Hem. Abbas* etiã monasterij huius, \* cui & adhuc sagaciter præest, præsentis uita potitus. Horum autem memoriam idcirco hic inserui, ut omnia, quæ de *S. Altonis* reuelatione, super monasterij sui renouatione facta sæculi, tam præsentium quàm futurorū notitiæ pateant, magisq; credibilia fiant. Inter hæc etiam pariter cōmemorandum est, quod uenerabilis *Itba* † scilicet mater prænominati \* pro inlicitatione tali deuotione tanta apud ipsum intercedendo laborauit, ut pro diuini officij augmento suas delicias, suamq; familiã minui gauderet, & in eodē *S. Altonis* monasterio sepulturam suam fieri decerneret. Dixisse quoq; fertur, quia ideò forsitan genus omne parentū & propinquorum nostrorum instabile, minusque longæuum hæctenus fuit, quod *S. Altonis* monasterium sub tanta negligentia relinqueretur. Emendemus ergo in melius, quod ignoranter peccauimus. Eadē uero *Itba* defuncta, ibique quo decreuerat sepulta, defuncto quoq; Viro, filioq; eorū *Catulo* prædicto, ueneranda Matrona *Irmen drut* dicta, parentibus nobilissimis orta, eiusdem scilicet *Catuli* per años ism multos uidua, adhuc disponente Deo in uita præsentis posita, qua etiã optamus ut perfruatur, mundoq; perichitante per eandem Deus succurrēdo misereatur.

Hæc

Varia  
\* aliud† Comitiss.  
Ja Tyracem.  
\* fort. Cæ  
muta.



Hæc inquam Matrōna, cum Viro filijsque suis defunctis ad solius hæreditatem atque potentiam omnis eorum possessio deuenerit, tali deuotione tantâq; humilitate Christo se subiecit, vt non solum ea quæ ab Antecessoribus suis ad *S. Altonis* Monasterium donata sunt, non minueret, sed etiam plurimum augeret.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In suprema apostolicæ dignitatis specula meritis licet insufficientibus diuina dispositione sublimati, curis assiduis agitur, vt per nostræ prouisionis ministerium, Monasteria quælibet, quæ sinistra temporum conditio deformauit, ad reformationis & restaurationis optatæ effectum perducantur, eorumque statum aliquando in melius immutamus, prout Catholicorum Principum exposcit deuotio, ac rerum & temporum qualitate pensata, id conspiciamus in Domino expedire. Sanè dudum pro parte dilecti filij Nobilis viri *Georgij Comitæ Palatini Rheni*, inferioris & superioris *Bauiaria Ducis* nobis exposito, quod inter quam plurima Monasteria diuersorum ordinum vtriusque sexus personarum in suis territoriis, & dominiis per eius progenitores fundata & dotata, erat inter cætera Monasterium Monialium in *Altomünster* Ordinis S. Benedicti Frisingen. Diœcesis, Episcopo Frisingensi immediate subiectum, quod temporum malicia, & illi pro tempore præsidentium incuria & negligentia ad tantam ruinam deuenerat, quod eius structuræ & ædificia solo quasi æquata, eiusque bona disperdita, alienata, & distracta erant, ipsumque Monasterium à Monialibus omninò desertum & inhabitatum remanserat, ac inibi nullum diuini cultus exercitium fiebat, quodque ipse *Georgius* Dux propter singularem deuotionis affectum, quem ad Ordinem *Saluatoris*, aliàs *Sanctæ Brigittæ* sub regula S. Augustini gerebat, desiderabat aliqua Monasteria eiusdem ordinis *Saluatoris* in suis Dominiis construi & ædificari facere, ac prononnullis vtriusque sexus personis inibi perpetuò altissimo famulaturis, congruis redditibus dotare, & pro parte ipsius *Georgij* Ducis nobis humiliter supplicato, vt inter cætera in dicto Monasterio *Altomünster* Abbatissalem dignitatem & dictum Ordinem S. Benedicti penitus suppressere & extinguere, illiusque fructus, redditus, prouentus, iura & bona omnia, alicui Monasterio dicti Ordinis *Saluatoris* erigendo applicare dignaremur. Nos tunc ex præmissis & nonnullis aliis causis votis eiusdem Ducis annuere volentes, Venerabili fratri nostro *Wilhelmo* Episcopo *Eysteten.* & eius proprio nomine non expresso, Abbati Monasterij in *Scheyrn* Frisingen. Diœcesis. per nostras literas in forma breuis dedimus in mandatis, vt vocatis Procuratoribus dicti *Georgij* Ducis & Prælatibus dicti Ordinis S. Benedicti, ac omnibus suis interesse putantibus de præmissis etiam extrajudicialiter & summarie se informarent, & quæ super his in veritate reperirent, nobis per eorum literas quamprimum significare curarent. Postmodum verò dilecti filij *Georgius* Abbas dicti Monasterij in *Scheyrn*, & *Georgius Trechsel* Canonicus *Ratisponen.* Licentiatas in. Decretis, cui prætatus *Wilhelmus* Episcopus super hoc commiserat vices suas, ac tunc Vicarius in spiritualibus generalis dicti Episcopi Frisingen. ad executionem dictarum literarum, vocatis qui fuerant euocandi, & aliàs ritè procedentes oculata fide inuenerunt dictum Monasterium in *Altomünster* totaliter dirutum & destructum, ac ad construendum dictum Monasterium pro vsu & habitatione Monachorum, & Sororum dicti Ordinis *Saluatoris* aptum & congruum fore. Et deinde hæc omnia nobis per suas literas significarunt. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti *Georgij* Ducis petitio continebat, ipse suum pium & laudabile desiderium continuando summo opere exoptet in loco dicti Monasterij in *Altomünster*, aut alio loco illi propinquo, ad id conuenienti & honesto, vnum aliud Monasterium pro vsu & habitatione vi-



ginti quinque Monachorum, & sexaginta Monialium, siue fororum dicti Ordinis *Saluatoris*, quarum vna Abbatissa sit, ex bonis a Deo sic collatis, cum Ecclesia campanili, campanis, claustris, Refectoriis, Dormitoriis, hortis, hortalicis, & aliis necessariis officinis construi, & edificari facere, illudque pro congrua sustentatione Monachorum & Monialium eorundem opportunis redditibus dotare, ac ipsius Monasterij fructus, redditus, proventus, bona & jura deperdita, & alienata, pro posse recuperare intendat, pro parte ipsius *Georgij Ducis* nobis humiliter fuit supplicatum, vt in dicto loco in *Altomünster* Abbatissalem dignitatem, & dictum Ordinem S. Benedicti penitus extinguere & suppressere, ac sibi vnum aliud Monasterium ibidem aut alio loco illi propinquo, ad hoc congruo & honesto, sub inuocatione B. *Mariæ* Virgin. pro vsu & habitatione viginti quinque Monachorum & sexaginta Monialium dicti Ordinis *Saluatoris* alias S. *Brigitte*, quarum vna Abbatissa sit vt præfertur, construendi & edificandi, seu constructui & edificari faciendi licentiam concedere aliasque in præmissis oportune providere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur qui religionis propagationem, & diuini cultus augmentum sinceris desideriis exoptamus, eiusdem *Georgij Ducis* pium & laudabile propositum huiusmodi plurimum in Domino commendantes, ipsum *Georgium Ducem* a quibuscunq; excommunicationis, suspensionis & interdicti, ac aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum hæc ferie absoluentes. & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati in dicto loco in *Altomünster* Abbatissalem dignitatem & Ordinem S. Benedicti huiusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium penitus extinguimus & supprimimus, ac præfato Duci *Georgio* vnum aliud Monasterium ibidem, aut alio loco propinquo ad hoc commodo & congruo, sub inuocatione prædicta pro vsu & habitatione viginti quinque Monachorum, & sexaginta Monialium dicti ordinis *Saluatoris*, alias S. *Brigitte*, sub Regula S. Augustini huiusmodi, quarum vna Abbatissa sit, vt præmittitur, altis & fortibus muris ab inuicem separatorum cum Ecclesia, Campanili, Campanis, claustris, Refectoriis, Dormitoriis, hortis, hortalicis, & omnibus aliis necessariis officinis construendi & edificandi, seu constructui & edificari faciendi licentiam eadem auctoritate concedimus. Et nihilominus omnia & singula, fructus, redditus, & proventus, bona & jura dicti olim Monasterij Monialium eidem nouo Monasterio perpetuo, dicta auctoritate applicamus & appropriamus, nec non eisdem vtriusq; sexus religionis, & aliis personis in dicto nouo Monasterio pro tempore habitantibus, & illi deseruientibus vt omnibus & singulis, priuilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, fauoribus, gratiis, & indultis quibuscunq; aliis Monasteriis locis & personis dicti Ordinis *Saluatoris* vbiunque existentibus, per sedem Apostolicam vel alias in genere vel in specie quomodolibet concessis, & in posterum concedendis vti, potiri & gaudere liberè & licitè valeant, nec non tam eisdem religionis vtriusque sexus & aliis personis dicti noui Monasterij, quæ pro tempore fuerint, quam omnibus & singulis aliis fidelibus, qui Ecclesiam dicti Monasterij in Sancti *Petri* ad *Vincula* & eiusdem S. *Brigitte* festiuitatibus ac Dominica *Latae Ierusalem* in Quadragesima deuotè visitaauerint, & ipsis alijs fidelibus, qui pro conuersatione & manutentione dicti Monasterij manus porrexerint adiutrices, omnes singulas Indulgentias & peccatorum remissiones in *Walslein*, in *Souetia* & *Paradis* extra muros *Florentin*, nec non *Syon* in *Anglia* ac omnibus & singulis alijs Monasteriis & Locis dicti Ordinis *Saluatoris* vbi libet constitutis, ac toti ipsi Ordini, per sedem eandem vel alias quomodolibet concessas & in posterum

Metrop. Salisb. Tom. II.

H conce-



concedendas eisdem auctoritate & tenore concedimus, & vltra hæc Decem annos & totidem Quadragenas de injunctis eis pœnitentiis ipsis in Domino misericorditer relaxamus, præsentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Præterea personas ipsas, ac dictum nouum Monasterium, nec non omnia ac singula eorum bona mobilia & immobilia, præsentia & futura, vbiq; consistencia ab omnibus & singulis Steurarum, aduocatarum, & aliorum onerum quorumcunque & qualiumcunque per Dominos temporales imponi, peti & exigi solitorum, exactiõibus & solutionibus, eisdem auctoritate & tenore penitus eximimus & totaliter liberamus, & libera ac exempta fore decernimus & declaramus, districtius inhibentes quibusuis temporalibus dominis cuiusque præminentia & excellentia fuerint, sub excommunicationis pœna, quam singulos contrafacientes ipso facto incurrere decernimus, ne Monasterio & personis prædictis Steuras, aduocatas, aut cuiuscunque alterius generis onera imponere, aut illa ab eis petere vel exigere quoquo modo præsumant. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac statutis & consuetudinibus Monasteriorum & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriis contrariis quibuscunque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, suppletionis, extinctionis, concessionis, applicationis, appropriationis, relaxationis, exemptionis, liberationis, constitutionis, declarationis, inhibitionis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo. Prid. Kal. Martij, Pontificatus nostri anno quarto.

Iulius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conuentui Monasterij Monialiũ beatæ Mariæ *Altomünster* Ordinis S. *Brigitte* sancti *Saluatoris* nuncupati, sub Regula S. Augustini Frisingens. Diœcesis, & dilecto filio, earum Confessione generali, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducat effectum. Ea propter dilectæ in Domino filia & dilectæ fili vestris iustis postulationibus grato cõcurrentes assensu personas vestras & locum in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, & in futurum iustis modis præstante Domino poteritis ad ipsi, sub nostra ac Beati Petri protectione suscipimus. Nec non omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per Præuilegia siue alias indulgentias vobis & Monasterio vestro concessas: nec non libertates & exemptiones sæcularium exactiõum, ab Imperatoribus, Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem Monasterio vestro rationabiliter indultas: specialiter autẽ decimas, primitias, oblationes, census, fructus, possessiones, agros, & alia bona vestra. nec nõ omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, eidem Monasterio vestro canonicè vnita, annexa & incorporata, cum omnibus iuribus & pertinentiis eorum, sicuti ea omnia iuste & pacificè possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio comünimus. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginã nostræ confirmationis & comünionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datũ Romæ apud S. Petrum, Año Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo quarto, IV. Non. Martij. Pontif. nostri anno secundo.

A B B A.



COLLEGIOR. PER BOIARIAM.  
 ABBATISSAE MONASTERII  
 ALTOMÜNSTER.

87

- I. ANNA Hutterin ob. an. 1527. die 21. Iunij.
- II. CATHARINA Ortlevin ob. die 10. Maij. An. 1530.
- III. VRSVLA Khlöbling ob. die 4. Decemb. an. 1537.
- IV. OTILIA Offerin defuncta 28. Febr. an. 1557.
- V. MARGARETHA Petznerin ob. die 9. April. an. 1563.
- VI. BARBARA Steidlin ob. die 28. April. an. 1570.
- VII. CATHARINA Plaicherin è viuis sublata die 21. Ianuar. an. 1582.
- VIII. ANNA Preisin. obgrandiorem aetatem resignavit an. 1604. defuncta an. 1609. die 28. Septembr.
- IX. ANNA Dietherin, & ipsa aetate proeclioris resignavit die 18. Iulij, an. 1618.
- X. ANNA Mayrin, moderna Abbatisa.

Alt Capell zu Regensburg.

ECCLĒSIA Collegiata. Henricus sanctus Imperator, sub Gebhardo Episcopo Ratisbonen. Ecclesiam S. Mariæ Virginis, ad veterem Capellam, olim à Theodone, Sicut & alia Otingæ ab Ottone, eius fratre, Principibus Bauariæ, constructam, in Collegium Canonicorum extulit, ampliavit, & plumbo texit, secundum Iohannem Auentinum in annalibus, fol. 307. circa Annum Domini 1023. Altare priscum, olim à S. Rudperto dedicatum, mansit immobile, quod vsque hodie monstratur in gradibus. Hæc Ecclesia respicit Bambergensem Cathedralē, ex eoque ab antiquo, semper habent Præpositum ex Bambergensibus Canonicis. Sed quod ad jurisdictionem Episcopalem, pertinet ad Ratisbonensem Ecclesiam, &c. Hæc ex Conrado de Maidenburg.

ADDITIONES.

Vide Marc. Velsch Boiar. IV. pag. 215. Liber M. S. Collegiata huius Ecclesie, cui titulus de limitibus parochiarum Ciuitatis Ratispon. cap. VI. refert Capellam Beatæ Virginis Ratisponæ, quæ nunc vetus Capella dicitur fuisse inchoatam temporibus Caroli Magni, post expugnatam ab illo ciuitatem Ratisponam. Et cap. IX. B. Henricus Imp. fundator Ecclesie veteris Capellæ.

CATALOGVS PRÆPOSITORVM IMPERIALIS COLLEGIATÆ Ecclesie B. Mariæ Virginis ad veterem Capellam Ratisbonæ, quorum notitia haberi potuit: plurium enim nomina hætenus non exstant.

- I. Dn. GOTTFRIDVS, an. 1215.
- II. Dn. LEOPOLDVS Comes de Pogen, an. 1226.
- III. Dn. OTHNANDVS à Shöllenberg, an. 1232.
- IV. Dn. HENRICVS de Waldurue, an. 1245.

Metrop. Salsb. Tom. 11.

H 2

V. Dn. FRI-